DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS DE PALPITATIONE CORDIS,

Quam

DIVINA ADSPIRANTE GRATIA,

PRÆSIDE

Dn. ELIA RUDOLPHO CAMERARIO,

Philoſ. & Med. D. P. P. Conſiliario & Archiatro Wirtemberg.

Patrono & Præceptore ſuo Parentis inſtar æternùm devenerando

Pro LICENTIA

SUMMOS IN ARTE MEDICA HONORES, INSIGNIA, AC PRIVILEGIA DOCTORALIA LEGITIME CONSEQUENDI.

Ad diem 21. Martii, horis antemeridianis

IN AULA NOVA

Publico ac Solenni Examini ſiſtit

JOH. CUNRADUS REMMELIN, Kircho-Teccenſis, Deſignatus Phyſicus Baling.

TUBINGÆ,

Typis MARTINI ROMMEII.

Generis, Virtutum, Munerum, Meritorum Eminentiâ

PERILLUSTRI

DOMINO,

DN. GEORGIO EHRNREICH,

LIBERO BARONI de CLOSEN,

in HAYDENBURG, WANKEN, & MONTE S. BLASII.

Serenißimi VVürtembergiæ DUCIS, CONSILIARIO, Supremi Dicasterii PRÆSIDI, Civitatum ac Districtuum BALINGENS. DUTTLING. EBING. & ROSENFELDENSIS PRÆFECTO SUPERIORI, VICE-COLONELLO,

S.R.I. LIB. Nobilitat. Suevic. Circuli ad Nicrum, Sylv. Hercyn. & Ortenovv Interioris Consilii ASSESSORI,

DOMINO SUO GRATIOSO.

VIRO itidem

Plurimùm Reverendo, Dignißimo

D O M I N O,

M. JOHANNI Wäßerern/ Ecclesiæ Balingensis Antistiti fidelissimo, vicinarumque Superattendenti vigilantissimo.

NEC NON

Nobilißimo, Auctoritatis gravitate, Prudentiâ, Iudiciique dexteritate conspicuo

Dn. JULIO SIMONI Nördlingern/ U.J. Cand. Inclutæ Reipubl. Baling. Præfecto Inferiori Amplissimo.

UT ET

Dominis CONSULIBUS Baling. Prudentissimis, Meritissimis, Cæterisque SENATORII ORDINIS, qui Balingæ viget, ADJUNCTIS Spectatissimis.

Inauguralem hanc Dissertationem

In debitæ gratitudinis tesseram, ulterioremque sui commendationem

dedicat & consecrat

AUTHOR.



Σ. Θ.

THESIS I.

P*Alpitatio Cordis*, ut multi in *Arte Noſtra* affectus, à ſymptomate & parte affecta ſuum ſortita eſt Nomen, palpitatio enim à *palpando* dicitur, quod hac correpti crebram cordis, vicinarumque partium contrectationem manu quaſi factam, vel *Ciceronis* verbo l. 2. de natura Deor. motionem frequentem, ſeu micationem cordis, ignis adinſtar ſentiunt; Sub *Cordis* autem nomine non intelligitur orificium ventriculi ſiniſtrum ob mutuum hujus cum corde conſenſum & ſymptomatum ſimilitudinem, à *Veteribus* hoc ornatum titulo, ſed pars corporis noſtri facilè princeps in medii ventris medio, à Summo rerum Opifice, locata. Hinc qui *cardialgiam, cardiogmon* noſtrum appellant ſymptoma, non accuratè loquuntur. *Græcis* ratione non abſimili *πάλμος τῆς καρδίας ἀπὸ τοῦ πάλλεσθαι*, quod ſubſilire, titubare, vibrari, agitari, quati, contremiſcere, & palpitare ſonat. *Ariſtoteli l. d. reſp. c. 20.* *πήδησις*, aliis *κίνησις παλμώδης, κλονώδης, σπασμώδης* vocatur. *Gallis* dicitur le Battement du cœur. vid. Nathan. Duez diction. Gallico-Germ. Latin. *Italis* Battimento del cuore. In *Vernacula* das Hertzklopffen / Hertzpeuchen ſ. pochen & Hertzpuffen / rudiori plebeculæ der Hertzklopffer vocatur. Palpitatio autem hic non notat 1. Agitationem ſive motum partis cujuscunq; naturalem, veluti *Ægimius Elæus antiquiſſimus Medicus* quemvis motum arterioſum palpitationem vocabat. 2. Partium aliarum, quæ diſtendi & dilatari poſſunt, p. n. motum. 3. Dolorem palpitantem arteriarum pulſum referentem, quem *πόνον παλμώδεα* vocat *Hipp. 2. prænot. Coac. c. 11. t. 30.* 4. Eum, qui ſurſum deorſumque contra noſtram voluntatem fit, motum, ut accipit *Ca-*

stellus. Sed notat istum pravum Cordis mox describendum motum. Aliàs variis hoc malum effertur nominibus; *Serapio* Caphoram, *Rhases* titillationem, *Alii* subsultionem, salissationem, vibrationem, *Alii* jectigationem, pulsum, *Marcellus Empiricus Burdigalensis* saltum, sive saltationem cordis, Formidinem *Quidam* appellant, *Moderni haud pauci* in spasmorum locant serie, *Avicenna* cum *Asseclis* tremorem vocavit cordis, cui *Alii* contradicunt. *Mercurialis* inquit: *An hic motus nominari debeat* παλμὸς seu πήδησις, *vel tremor, non multum ad curationem pertinet disputare. Consil. 3. pro Augustiss. Imperatore Maximil. Secundo, & Cons. 44. pro Illustrissimo Cardinale Orsino. Ut ego quidem existimo, quæstio hæc potissimùm à Medicina Practicis dupondio non æstimatur uno.* Sunt verba *Langii Miscell. Curios. Medic.* §. *16.* Plura ad ὀνοματολογίαν pertinentia vid. apud *Heurn. l. de morb. pector. c. 8.* & *Hercul. Saxon. prælect. pract. part. 2. c. 1.*

2. *Palpitatio Cordis est motus ejusdem inordinatus, confusus, coactus, ab insigniori ejus irritatione ortus.*

3. Hanc *descriptionem* qui cum sua non coincidere mirabitur, perpendat, rogo, me non unam saltem cordis palpitationis speciem delineare voluisse: Singulas nunc ejus explicabo, pandam ac resolvam particulas. Movetur, quia irritatur, *Cor*, quà omnes suas partes, quà auriculas, basin, conum, fibras exteriores, à sinistro cordis latere versus dextrum porrectas & ad basin ejus terminatas, internas, ductu planè opposito latas, ventriculos sive thalamos, tàm dextrum, qui sanguinem & cum ipso varia à vena cava recipit, quàm sinistrum, sanguinem ad partes mittentem, scrobiculos, cavernulas, sulcos, septum, vasa tàm arteriosa quàm venosa, coronaria etiam, potissimùm majores & insignes illos canales, vehentes modò bona modò mala in hunc oceanum, nervos & fibras nerveas. Hos quidem *Veteres* paucissimos & exiles in pericardium saltem tendentes, vel etiamsi in cor, parcè tamē & exili ramificatione disseminatos descripserunt; *Recentiores* tamen *Anatomici* satis numerosos in corde se notasse, & plures eorū ramulos non ad superficiem tantùm sed & substantiam excurrentes referunt, quorum agmen ducunt Celeberr. *Bartholinus, Lovverus, Blasius, Steno, Highmorus, Willisius,* qui ab octavo, quos *Quidam* à sexto, derivant pari,

imò ante hos jam *Spigelius* & *Vidus Vidius* idem sensere, & *Fallopius* integrum nervorum glomum cordi insertum suis publicè demonstravit discipulis. Associat hoc in negotio *Cor* sibi *pericardium*, quod pro primario ponit subjecto *Hercul. Saxon. l c. Pulmones, thoracem, diaphragma, costas, arterias*, nec enim in cordis arteriis molestæ illæ subsilitiones, verbo *Scaligeri*, subsistunt, sed in aliis arteriis tanquam propaginibus continuantur. Ita in carotidibus sensum tremulum, in *Præside Rhotomagensi Primario* maximo palpitationis impetu tentato *Holler. de morb. intern. c.29.* in *Nobili Matrona* laudatus *Barthol. cent. 1. Hist. 18.* observarunt, imò adusque cerebri sinus & arterias temporales earum commotione & capillorum motione monstrantibus, ascendisse *Exc. Conringius αὐτόπτης* testatur in *disput. de palpit. cord.* de arteriæ dorsalis palpitationibus vid. *Salmuth. in obs. med. cent. 1. obs. 46. & 94. cent. 2 obs. 7.* arteriæ cœliacæ ap. *Amat. Lusit.* in curatione cujusdam Melancholia Hypochondriaca laborantis: Imò haud rarò omnes ferè corporis *partes*, *intestina*, etiam *externas* socias sibi Cor in motum adsciscere & saltum, Medicorum observationes & propria cujusvis autopsia testantur.

4. *Movetur* Cor, ceu aliàs naturaliter dilatatione sive Diastole & Systole sive contractione ad vitam totius partibus corporis largiendam & refluum ab ipsis sanguinem vitalitatis charactere tingendum, ita hîc p. n., dum ordinarios transgreditur limites, penitùs inordinatè, confusè & coactè motum instituit. Aliquando vehemens est iste motus, aliquando velox, aliquando creber, nonnunquam hæc junguntur, hinc *Plerorumque celeberrimorum Medicorum* definitionem hæc ingrediuntur verba. At pace *Illorum* dixerim, palpitationem, prout hîc considero, plerumque quidem, sed non semper hæc sibi habere juncta, ut præsertim ante syncopen ingruentem aliquando contingit. Non quidem hujus loci est leviter inordinatus cordis motus ab animi vel corporis motu ortus, nullam Medici requirens curam, at solet tamen aliquando nec audiri nec videri, sed manus saltem contactu observari; Ceu è contra sæpius concussio adeò violenta est, ut alias quoque duriores percutiat partes, sonitu motus ad aures usque delato inque partibus vicinis & membranis dolore enato, tàm vehementissimus

nonnunquam & tyrannicus quasi motus, ut vestimenta cordi injecta in altum attollat, costas vicinas è sede sua dimoveat, in junioribus ac tenerioribus forás ad protuberantiam permanentem propellat, imò penitùs frangat, septum cordis amplo hiatu disrumpat, arteriam forás in anevrisma dilatet, ob tantam vim ad notabilem sæpè distantiam extra fores etiam auribus perceptus. Insigne tradit expemplum *Tulpius l. 2. Obs. med. 25.* Talia palpitationibus spuriis *Quidam* annumerant, *Quidam* in dubium vocare audent. At *Galenus, Fernelius, Forestus, Hollerius, Mercurialis, Benedictus Sylvaticus, Schenckius, Höferus, Sylvius, Harveius, Conringius, Bartholinus,* fidem suam interponunt ac testantur. *Cæsalpinus in arte medica l. 6. cap. 20.* in *Philippi Nerii Romani Sacerdotis* sæpissimè palpitatione correpti corpore post mortem duas costas fractas deprehensas fuisse scribit. Simile ferè recenset *Christoph. à Vega l. 3. s. 6. c. 8. Artis Medicin.* de *Sanctio à Velasco Filio Comitis Nivensis.* In *illo Philippo Nerio* palpitationem cordis & fracturam costarum, quas per annos 50. sustinuit, supra ordinem naturæ fuisse, singulari *dissertatione* ostendere conatus fuit *Angelus Victorius Balneoregiensis, Philosophus & Medicus Romanus.*

5. In coacto illo motu, Systole cordis *plerumque* impeditur, dum fibræ ita dilatantur & distenduntur, ut perfecta fieri non possit, sed sanguis per repetitum talem motum educendus sit, ipsius diastoles & systoles reciprocatio inordinata cum vi aliquando & impetu fit: *Aliquando* & arteriæ è cordè egredientes contrahuntur successivè, & seriatim post cardiacas fibras, ut liber & naturalis sanguini per eas motus denegetur: *Aliquando* ventriculi & pulmonalia arteriosa vasa obstruuntur, aut alia de causa angustantur, hinc constrictio ventriculorum impeditur, sanguisque, cui libera in pulmones è corde non patet via, vasa istius tam violenter distendendo, cor ad illam cogit quassationem: *Aliquando* tremula agitatione concitantur ac quasi vibrantur mobiles istæ recensitæ cordis partes: *Aliquando* spiritus animales huc vecti, sive propria culpa, sive à directore, ut aliis auxilium ferant, spasmodicè affecti tali Cor quatiunt motu: *Aliquando* & arterias cardiacas spasmodicè contrahi, nervis cardiacis spasmodicè contractis statuit *Willisius*. *Sæpius*

con-

contractio non solùm ac dilatatio depravantur, sed ipsum Cor præsertim in violentiori palpitatione à suo loco violenter movetur, elevatur, deprimitur, concutitur. Motus ergo Cordis *depravatus* est quà ordinem, tempus, quantitatem, qualitatem, modum & rationem ejusdem, nonnunquam quà singula, interdum quà quædam, extra proprii motus concentum dissonus ac confusus, modò, dum ludicram illam artem Cor facit, *ut Plautinus Euclio* loquitur, dilatatorius, modò depressorius, modò trepidans, modò tremulus, modò concussivus, quassatorius, spasmodicus. Postremum hoc Epitheton *Celeberrimi Quidam Recentiores* Palpitationi tribuunt; *Nonnulli* spasmos à Naturali Facultate, Conservatrice & Expultrice deducendo: *Nonnulli* animalem motum cordi musculo tribuendo: Nonnulli utrumque motum conjungendo sive potiùs conciliando. Et hanc partem, in tyrannica præsertim ista & violentissima palpitatione etiamsi musculum non statuat, spasmodicè moveri posse, quis non affirmaret? *Depravatum* autem dum dixi motum, *Fernelius* & *Petræus* per *Auctum* describentes, contradicere videntur; At cùm auctio systoles & diastoles nostram non absolvat palpitationem, cùm motum hunc quà intensionem potiùs quàm extensionem ac confusionem considerent, cùm celeritas & vehementia, ut dictum, non semper adsit, stat meum assertum. Qui auctum sed *dolorosum, tristem* vocant motum, perpendant, non ad essentiam palpitationis spectare, etiamsi dolor aut tristitia jungatur, imò illam *Argenterii* sententiam à paucis receptam esse.

6. *Irritatur* autem Cor, cùm exquisitè percipit, sentit id quod adversum, molestum, inimicum est: *Quidam* hac gaudere perceptione dicunt ob facultatem Naturalem conservatricem omne hostile expellere conantem, sicut omnibus partibus, ita & Cordi concessam; *Quidam* ob illam, quâ omnes musculi pollent, sentiendi potentiam & Cor, quod musculum vocant, irritari statuunt. *Excell. Dn. D. Wepferus, Senior, Patronus meus singulariter Colendus in Disp. de Palpit. Cord.* θ. 4. *seq.* scribit, cujus & ego amplector ac veneror sententiam: *Potentia instructum est Cor, qua noxia & damnosa agnoscit, qua Tactus est: Cùm enim ignobilioribus membris ad varias injurias perferendas &*

 decli-

declinandas concessus sit, quis principi parti, cujus incolumitas vitæ conservandæ summè necessaria est, denegare audebit? Et paulò post: *Ut ut sit, certè experientia Cordi sensum inesse facilè confirmabit, si Cor nudum, vel acu, vel alio instrumento pungatur; tùm oculis usurpare licebit, quos saltus facturum sit, quos conatus ad rem molestam repellendam adhibeat; quos, si sensu privatum stuperet, nullatenus institueret*: Hæc *Vir ille Celeberrimus.* Et *Anatomici hodierni* quotidiè de hoc varia instituunt experimenta. *Accuratissimus Anatomicus Steno,* post varias circa varia corda observationes tandem colligit, motum cordis intermissum redire ad vellicationem, sive à re solida, ut acu, cultro, ungue, sive à sanguinis vel halitibus vel dilatatione. *Act. Hafn. Volum. 2. Obs. 46.* *Perceptio* autem illa fit ab Archeo, Spiritu, Facultate, Natura, voces prout lubet, hoc aut alio etiam nomine, uno verbo à corde, suis adhuc aliquantum instructo viribus, non penitùs oppresso, aut per dissipationem enervato, tum enim tales pro abigendo hoste motus ampliùs instituere non valet, irritatum, lacessitum enim talem ad propulsandum inimicum instituit, imò aliquando hoste propulsato non statim furorem deponit, sed plebis instar rebellis aliquandiu quassationem continuat, motu autem, nisu, raptu, tumultu isto, contra hostile quodcunque sive adhuc præsens, sive paulò ante abactum aliquando ipsum enervatur, succumbit, ac tandem conficitur. Fieri irritationem hîc, ut in tussi & sternutamento, dicit *Franciscus Henriquetz de Villa Corta Disp. 1. de morb. cap. 6.* Cordis palpitatio violenta est concussio, qua cor vehementiùs pulsans rei adversæ injuriam expellere contendit, haud secùs quàm cerebrum in epilepsia, dicit Feyneus Practic. Med. l. 3. c. 3. Sunt, qui etiam quod utile est, attrahere, ac deficiens restaurare satagentis cordis motum hîc esse statuunt, quorum sententiam debitè explicitam meæ adaptari posse censeo.

7. *Irritandi* autem *vim* habent & exerunt ad hoc cudendum symptoma, *Spirituosa, Humorosa,* & *Solida* in corpore nostro. *Spiritus* hîc peccare solent *qualitate irreducibili,* toto genere sive substantia vocant *Alii,* dum venenato inficiuntur miasmate, in peste, petechiis, variolis, venenis per nares, os, ictum, morsum, vulnera, ulcera, glandulas subcutaneas, aut alio modo

do communicatis, dum inquinantur à pure hîc vel ibi in corpore detento; Refert *Guilielmus Ballonius l. 2. Epidem. p. 230.* de fœmina palpitatione insigni laborante, cum dolore sub mamma sinistra, quæ abscessu foris aperto & pure plurimo emanante quasi miraculo quodam convaluit. Annon præter illam inquinationem etiam abscessus presserit ac irritaverit, non dubito. *Reducibili*, dum *vel* nimis fervidi, tenues, volatiles ac impetuosi, *vel* crassiores, obscuriores, magis lenti, imò secundum *Quosdam* peregrinis odorib⁹ ac saporibus tincti sunt. *Quantitate deficiente*, dum *vel* materiæ *vel* efficientis primariæ aut secundariæ culpa non in debita generantur quantitate, *aut* dissipantur, absumuntur, dissolvuntur; Spirituum defectum & caloris naturalis extinctionem cordi undulationem & palpitationem lethalem imprimere vult *Eustach. Rud. l 2. d puls. Johren.* Palpitationem animi deliquium particulare dicit. vid. & *Attilium Bulgetium de aff. Cord. l. 2. c. 3.* *Excedente*, de quo vitio mox, ubi de sanguine sermo erit, hoc enim qualitatis vitium potissimum junctum habet. *Motu nimio vel* inordinato, concitatiore, *vel* orgastico, enormontico, impetuoso, *vel* depravato; *Aliquando imminuto* ob varias ipsorum infectiones, degenerationes & oppressiones. Cum Spiritus vitæ libero gressu permeare aut penetrare totam cordis substantiam nequeunt, cor palpitare dicit *P. I. Faber Vol. 3. Panchym l. 3. c. 6. & Loco.* *Halitus* calidi, sicci, tenues seu *fuligines*, calidi, humidi, lenti, crassi sive *vapores*, copiosi à fermentatione p. n. oriundi, viscida irretiti materia, non condensabiles sive *flatus* hîc non excludendi variis istis dictis modis à Naturæ secedentes regulis; Juxta alios humores & vapores etiam tenues accusat *Avicenna l. 3. Fen. 2. tract. 2. c. 1.* *Sebastianus Pissinius l. 1. d. Palp. Cord*, causam proximam ponit flatus, imò πάθος φυσῶδες *Quibusdam* appellata palpitatio. *Highmor Exercit. de affect. hypoch. c. 6* Sanguinem tenuem & flatulentum, *Cartesius* plus justo rarefactum, *Meysonnerius* substantiam ☿lem; *Scheunemannus* ☿♎, ♎tus ☿les ♎tos accusant. Ab hac causa palpitationes illæ in *Præside Rhotomag.* ap. *Hollerium* & *Viro* illo Honesto cujus *Schenk. l. 11. de palpit. Cord.* ex *Dodonæi Obs. 1. 54.* meminit ortum duxere, solvebantur enim paroxysmi emissis maximo cum strepitu flatibus

bus

bus & ructibus, nec aliam *Barthol.* in muliere Haffniensi causam ac flatus agnoscit. Irritant autem quatenus *fervidi* nimis & *tenues* vel in ipso corde ita rarefacti vel massa sanguinea plus justo ebulliente exclusi & impetuosius irruentes Cor & reliqua vasa ipsi appensa quatiunt, sive *torpidi* & *crassi* molesti hujus παλμȣ authores evadunt; tale exemplum memoratu dignum ab amico fide pleno adduxit *Excell. D. D. Mezgerus, Praeceptor meus per quinquennium & quod excurrit fidelissimus, aeternaque ideo observantia mihi colendissimus in Disp. 3. de circ. sanguinis θ. 4.* de muliere catarrhosa & phlegmatica vehementissimis à passionibus hystericis palpitationibus vexata, quae solâ corporis, quoties rediit, ad terram incurvatione sublata fuit, rationem quaesitus, hanc mihi privatim reddidit satis probabilem *Excell. hic Author*, quod fortè frigidi & crassi vapores à Spiritu inclinatione retento & calore cordis aucto fuerint discussi & dissipati. Omnium autem promptissimè vapores *acri* simul & *acida* qualitate armati, quos *Sylvius* in Pr. ex disproportionata in intestinis, bilis scilicet & succi pancreatici effervescentia deducit, hunc motum inordinatum promovent, imò fibras cordis & arteriarum carneas constringendo secundùm *Willis.* cui *Barbett. in Pr. de Palp. Cord.* subscribit, planè convulsivum reddunt. Flatus, qui haud râro è varia minera effervescente suscitantur, non tàm distendendo ac dilatando solùm utrium instar agunt, licèt aliquando, sed rariùs, viis ordinariis debitè non patentibus fiat, quàm vellicando, lacessendo, irritando, imò, cur non & hic aliquando fieret, quod in aliis partibus, ubi spasmodicè tensis fibris flatus retinentur, sive effectivè, sive causaliter.

8. Ex *Humorosorum* classe irritant: *Sanguis* devians *Qualitate* (non abstractivè hic considerata) *irreducibili*, non solùm iis, quibus Spiritus modis, sed & dum verminosus fit, dum grumescit insigniter, ut ad pristinum statum per alterationem aut immutationem reduci non possit. Sic in insignis Theologi ac pii palpitationi cordis per crebras vices modò spontè, modò occasionaliter obnoxii, tandem ea continuo dies & noctes afflicti, ac tandem à morbi molestissimi assiduitate attriti & mortui cadavere cordis sinum dextrum sanguine concreto tumidum, ejus-

dem-

demque auriculam in immensum auctam & extensam, cruoris grumosi copiam ingentem continentem vidit *Willis. Pharmaceurat.part.1.Sect.6.c.3.* *Reducibili*, dum justo *calidior*, acrior, tenuior, inflammabilis, rarefactus, volatilis nimis, biliosus est, dum justo magis effervescit, ob heterogeneorum, acidorum & alcalicorum, tetrahedricorum, gladiolorum & uncinulatorum congressum, dum nimium spirituascit, ebullit, accenditur, conflagrat, dum volatilibus, salinis, turgentibus, sulphureis intensis abundat, serosis diluentibus paucis constat, dum particulæ in illo vehementiùs agitantur, dum particulis constat sulphureis nimis volatilibus acribus, dum globuli isti in sanguine in perversam aguntur figuram, situm & motum. *Econtra*, dum crassus, viscidus, lentus, aquosus, *pituitosus* ad effervescentiam, accensionem, expansionem, volatilisationem, πνευμάτωσιν debitam minùs aptus est, dum in ipso particulæ volatiles tenues naturaliter requisitæ vel deficientes, vel obrutæ ac suppressæ sunt, dum justo parciùs spirituascit. Grumescentiam sanguinis mitiorem & subjugabilem accusat *Excell. Wedelius Theorem. med.part.2. f.3.§.46.* Non irritando solùm, sed & obstruendo talis aliquando agit sanguis. Sæpius & sanguis & serum imbuuntur particulis, ut variè describunt, vitriolatis, nitrosis, arsenicalibus, armoniacalibus, aluminosis, acidis sylvestribus, ponticis, fluorem adeptis &c. Tartarum, qui vaporosa substantia omnibus inest alimentis, ab Archeo cordis non rectè separatum, aut separatum & non expulsum accusat *Burggravius*. Frequenter hîc irritat sanguis viscidus, lentus ac simul acris in corde hærens, ut & talis crassus, vappescens quasi, ac in spirituascentia deficiens, aliquando ab externa causa in effervescentiam p. n. & motum impetuosum s. rarefactionem penitùs ab illa naturali differentem actus, quod probè notandum haud semel inculcavit *Dn. Præses.* *Quantitate, Excedente*, sive in toto, ut in plethora, ubi V. S. juvare solet, hinc frequentius à sanguinis quantitate, quàm ab alio humore deducit hoc malum *Riverius Prax. med. l.7. c.2.* sive in corde, cùm sanguis ex vulnere in corde abundat, circa id detinetur, stagnat, si arteriæ è corde egredientes ex quacunque causa angustiores sunt. Sic arteriæ magnæ truncum mox à cordis egressu planè osseum s. potiùs saxeum

ejusque latera valdè compressa, rima tantum relicta vidit *Willis. l. c.* Ex sanguinis in corde concepti copia ac fervore, valentes sæpè cordis palpitationes contrahi dicit *Paulus Æginetâ l. 3. c. 34.* *Deficiente*, dum vel non generatur, vel consumitur, vel non evacuatur, sic ob sanguinem è vulnere effusum *Forestus c. 17. obs. 1.* & *Ferdin. Histor. med. 79.* palpitationem cordis notarunt. *Motu nimio, inordinate*, effervescentia nimia, quam caloris causam *Alii*, *Alii* effectum dicunt, orgastico, depravato, sufflaminato, turbato, ut & cum sanguis à *Veteribus* frigidus dictus, quod ante innui, in nimium p. n. motum abit. *Loco*, modis antea dictis.

9. *Serum* paribus cum sanguine infectum vitiis insigniter & hîc irritare solet, dum molestâ *quantitate* abundat, unde non modò mole sua gravare cor sed in motum sanguinis, cujus ὄχημα & auriga ab *Hipp.* audit, in cordis irruendi thalamos citatiorem & celeriorem reddere, imò flatulentiam cordi maxime infensam, ad quam ratione indolis & naturæ suæ præ reliquis humoribus inclinat, gignere potest. Ita palpitationis à sero prædominante ortæ exemplum habet *Horstius Pr. 1. l. 3. obs. 13.* in *Nobili* cui Luna potissimum crescente malum ingravescebat. Ab eadem causa fuit illa, quæ hemina ichorosi sanguinis educta à *Zacuto Lusit. Pr. adm. l. 1. obs. 133.* curata fuit. Defertur hoc serum s. lympha in cor, modò solitariè per vasa lymphatica & ductum lacteum thoracicum à *Barthol. Pecqueto, & Rudbequio* eleganter delineata, modò sanguini sociatum per venas. Interdum ipsum pericardium aquis repletur, testibus *Carolo Pisone l. de morb. à seros. colluv. ortis* & *Riol. in partic. affect. Meth. med. sect. 2.* Imò pectoris sæpè capacitas & pulmones simul hoc inundantur diluvio, quod in *Aug. Imperatore Maximil. II. Crato*, ut in *Oratione de ipsius obitu* refert, observavit. Ut & hydatidibus pericardium obsidentibus inclusum *Quidam* notarunt. Ab hac quoque causa scorbuticam palpitationem cordis *Senn. Pr. l. 3. p. 2. S. 2. c. 4.* deducit; acidas tamen aut fixas, aut rancidas sero permixtas & sanguini particulas *ego* adderem. Nec minori, si *deficit*, culpa caret, cùm enim sanguinem, cujus individuus comes est, alioquin crassiorem nonnihil diluat, calidiorem temperet & coctionem ejus promoveat, hoc deficiente ob vasa lympha-

pha-

phatica versus cor obstructa, aut inflammatione & intemperie calida exiccata, & assata, aut alio quocunque modo læsa sanguinem magis exæstuare, tardè moveri inque grumos abire & cordi gravem molestiam creare facilè patet. Non autem quantitate solùm seu excedente, seu deficiente hîc peccat, verùm etiam longè frequentiùs inimicis & vitiosis *qualitatibus* à diversa ejus corruptione, (unde omnis ferè cacochymia) impressis ad hoc malum inducendum concurrit, variis atomis, de quibus supra thes. 8. quasi gravidum. Si *frigidum*, crassum inspissatum, viscidum, & obstruere & irritare valet. Non raro *aciditas* jungitur, quæ sanguinem grumosum & ad expulsionem pigriorem reddendo, vel vasa constringendo vel cor vehementius irritando frequentissimè, teste *Sylvio*, hoc malum inducit. Omnium autem gravissimè præ reliquis humoribus serum salinis acribus & mordacibus particulis constans & imprægnatum, aut bilis Cor irritare & in motum convulsivum agere solet. Præcipuè autem ubi particulæ hæ magis excoquuntur exaltantur, & acriores evadunt, ut in bilem atram degenerent, qualem accusant *Actuarius*, *Fernel. l. 5. Pathol. c. 12. Chylus* venenatus corruptus, purulentus *quantitate excedente, deficiente* peccans nimis volatilis, tenuis, lixiviosus, nimis impetuosè *motus*, hærens in corde crassus, lentus, in talem statum sive alimentorum sive salivæ, sive liquoris tàm ventriculi quàm intestinorum fermentalis, sive succi pancreatici, sive bilis, sive fecum, sive lymphæ culpa mutatus, quid hic valeat, testatur palpitatio levior, gravior aliquando ac pulsatio, quæ sentitur in furunculis, abscessibus externis, vulneribus, ulceribus, pustulis, tumoribus mox à cibo sumto aut dum adhuc assumitur; quanto enim magis Cor à particulis subtilioribus & ad evaporandum magis dispositis exhalantibus irritabitur à Chylo debitè se non habente & à Stomacho, cui ob nervos compatitur. *Humor* glutinosus *nervos* humectans ac oblinens (non malè ad lympam referendus) in molestam degenerans acrimoniam irritare aliquando solet. *Bilem* retorridam & exustam ad cordis substantiam confluentem & impetum facientem, quæ non secùs ac pulvis tormētarius accensus moveat ac propellat vicinas partes causam violenti illius & tyrañici motus ponit *Hercules Saxonia*. Egregiè, si rectè explicetur. *Pus* in Pericardio palpitationis causā

 depre-

deprehendit *Salmuth* in fœmina. *Humores* dicti varii non Cor solùm irritare, sed & pericardium lacessere, rodere possunt.

10. E *Solidorum* classe irritant: *Partes* cordi vicinæ, qua situm mutatæ, tumidæ, inflamatæ; *Diaphragma* eâ potissimum parte, quâ cor tangit, magnitudine auctum, pectoris *Os* depressius, *ventriculus à cibo* sive copioso sive nimis fermentante distentus, diaphragma non solùm comprimens, sed & ad Cor allidens, ipsumque repercutiens, imò & chylo per istam p. n. fermentationē corrupto Cor lacessens, qualiter affectus ventriculus haud rarò ipse palpitat, qui motus à palpitatione cordis probè distinguendus. Talis ventriculi palpitatio curata à fuit *Cl. Simone Schulzio Ephem. Germ. Ann. 6. & 7. obs. 141.* *Cordis Situs* mutatus, sic refert *Schenckius* de quodam Adolescente, qui cum frequenter utraque manu terræ innixus corpus in altum erigendo rotaret, cœpit cordis palpitationem, pulsationem vehementem in sinistro latere circa ventriculi ferè regionem sentire, post mortem aperto cadavere cordis situs naturalis relaxatis involucris & vasis, quibus annectitur, immutatus, corque suo mucrone succingenti tunicæ circa septi regionem affixum deprehensum fuit. *Tumores scirrhosi, Erysipelatodes, Inflammatorii; tubercula varia,* quæ singula aut alia varia *si pericardium* obsident afficiunt, & irritare hîc solent. Sic *Joh. Jessenius in Thomæ Aquinatis* cadavere dissecto repertum fuisse recenset diaphragma ad latitudinem pollicis elatum, pericardium usitato crassius, ipsumque Cor tumentius. Tuberculum supra Cordis arteriam producit *Benivenius c. 35.* in arteriis pulmonum cordi vicinis *Feyneus l. c.* Callum in arteria magna loco cordi proximo *Dodonaus in obs. ad Beniven. c. 35. Cuidam apud Hollerium de Morb. internis l. 1 c. 29.* abscessus in vena arteriosa palpitationem excitavit. Varia *solida Cor* p. n. aut nonnunquam *pericardium* obsidentia huc suam & conferunt operam. In *Joh. Baptistæ Medensis Sacerdotis* ex *Nobilissima familia Olgiatorum*, ab incunabilis ad annum mortis palpitatione Cordis laborantis thorace repertos pulmones turgidos & flatibus repletos, quibus per mediam membranam separatis, cor ipsum justo majus neque naturaliter formatum deprehensum, pericardio dissecto inter magnæ arteriæ caudicē & venæ arterialis radicem in cordis basi talem carnis excrescentiam repertam, quæ unciam unam

cum

eum 6. drachmis libraret & aliud corculum repræsentaret, testatur *Gesnerus.* Osseum quiddam & cartilagineum in corde cuidam diuturniori cordis tremore è medio sublato deprehensum fuisse refert *Platerus T. 1. l. 2. c. 11.*

11. Polypi Cordis icones descripserunt *Tulpius* & *Barthol.* Ut plurimum elongatis, multiplicibus & oblongis pedibus cordis ventriculos & adjacentium vasorum cavitatem quasi replet; varium quoque nanciscitur situm, & rudem configurationem, interdum enim placentulæ instar ventriculorum medietatem occupat & elongatis ramosis productionibus per venas & arterias hinc inde excurrenti sanguini præbet spatium. Color non raro diversus observatur, nam utplurimum polypi in dextro cordis thalamo excitati color subalbidus est & interdum rubra quædam vel subnigra stigmata consperſa habet. In sinistro autem autem genitus, colorem ut *plurimum* atrum & densiorem obtinet substantiam. Plura vid. apud *Malpigh.* in *dissert. de Polypo Cordis. Laudatissimus Wepferus d. Apopl.* polypum, cujus rami ulnam & amplius longi in aortam extendebantur, extraxit è sinistro Cordis ventriculo mulieris, quæ postquam asthmate & cordis palpitatione diu fuerat conflictata, syncope cardiaca tandem extincta est. Polypum insignem in vena cava ad Cor usque in *Serenissimi cujusdam Electoris* non diu abhinc mortui cadavere repertum mihi retulit *Dn. Præses.* Hoc symptoma si producit, ut nondum in summum gradum aut molem excreverit, non penitus divulsus sit, non omnimodè repleat necesse est, cum ita constitutus Syncopen Cardiacam, malè à quibusdam pro catarrho suffocativo habitam, producat, imò & in Apoplecticorum cadaveribus in cordis ventriculis, aut in cerebro aut in utrisque se tales polyposas concretiones reperisse *Quidam* testantur. *Bogdanus Epist. Barthol. Cent. 4. Ep. 11.* absumto Sulphure in sanguine Sal coagulandi virtutem exercuisse in polypi cordis productione statuit. *Kerkringius obs. 73. p. 145.* pro pseudopolypis omnes hos agnoscit, seque dubitare scribit vidisse ullum verum polypum cordis. *Vulnus* Cordi inflictum *Quidam* etiam huc locant, licet à *quibusdam* abigatur. *Calculos* in Corde quotidianas & assiduas Cordis palpitationes *Helmont.* in *retent.* in arteria versus renes descendente enatos

Tulpius l. c. excitasse scribit. In *Maximiliani II. Aug. Imperatoris* gravi palpitatione per vitam laborantis corde, ut recenset *Wierus l. 4. de Præstig. dæmon. c. 16.* tres lapilli inventi fuerunt quantitate pisorum, unus interim major altero, colore rubigineo, quibus ut th. 9. dictum, illa seri accessit copia. *Vermes* in pericardio aut ipso corde stabulantes & hic nominandi. In ventriculis cordis alatum vermem notavit *Excellent. I. D. Horstius*, album acuto & cornuto rostrello cordi adhærescentem deprehensum describit *Schenck. l. 2. obs. 194.* nigrum cimicis magni forma *Zacut. Lusit. Prax. adm. l. 1. obs. 130.* Animata sive verminosa effluvia ea qua pollent viscididate glutinosa adhærentia ac lacessentia accusant *Illi*, qui malignitatem ac pestilentiam ab his deducunt. Verbo supra th. 8. tetigi. *Marcus Aurelius Severinus l. 4. de recondita abscessuum natura* meminit anguis bifidi in lævo cordis sinu reperti. Singula hæc & tàm diversa sub uno irritationis comprehendere volui conceptu, sed addidi: *Insigni.* Nam levis aut momentanea non est, quæ mox transit, Medicum non requirit, insignis est, quia aliàs leprosi, scabiosi, cachectici omnes hoc laborarent symptomate. (An non τὸ secretum Hipocratis & orgasmus materiæ deficiens etiam huc quid faciat, perpendendum relinquo) Hinc viscidam, glutinosam, adhærentem *Quidam* requirunt materiam. Uno verbo: Lacessunt, irritant adducta ita, ut in hunc varium palpitationis nomine venientem motum Cor hostem propellere conans agatur, quæ irritatio huic respondere debet effectui.

12. Ea, quæ ad dictorum *irritantium faciliorem sive generationem, sive commotionem, sive utramque quocunque modo faciunt*, sunt è Serie Rerum *Naturalium*: *Temperamentum* calidius & siccius, quod acredinem humoribus facilius conciliat & calcar acribus addit, sanguineo cholericum his copiam jungit. Naturam corporis frigidam accusat *Galenus. Cordis* εὐαισθησία s. sensus teneritas irrritationem promovens. *Habitus corporis densior*, qui & suum hic confert Symbolum. *Astra* quid valere, vel solæ puellæ ac mulierculæ circa Lunæ mutationes frequentiùs hoc malo corripi solitæ testantur. Solem à Marte Læsum in themate natalitio accusant *Astrologi. Dispositio hæreditaria*, quam *Nonnulli* in cordis imbecillitate, *Alii* in εὐαισθησία, *Alii* in substantia cordis densiori &

ri &

ri & compactiori quærunt, non malè & in ſanguine aut alibi quærendam. *Ætas* & quidem vel ſenilis primatamen, ſecundum *Gal. 5. de loc. aff. c. 2.* vel juvenilis, virilis ſecundum *Ariſtot. Harvejum, Helmont. & Alios. Sexus*, quorum nullus immunitatem ſibi polliceri poteſt. Viros enim ob ſanguinem calidiorē & acriorem vitamque exercitiis deditam; Fœminas verò ob ſanguinem tenuiorem ſeroſiorem & magis flatulentum, interdum etiam menſes ſuppreſſos nullo obſervato diſcrimine infeſtat.

13. E Rerum *Non naturalium* Claſſe: *Aer* variè alteratus Spiritus & ſanguinem diverſimodè alterat, vel inflammando, refrigerando, incraſſando, flatulentum reddendo & alio modo. Metalla & Mineralia qui eruunt aut fundunt, item Artiſtæ, qui diu multumque circa Aquas Fortes occupati huic malo ſunt obnoxii ſecundum *Helmont. d. febr. c. 9. numero. 20.* Palpitaſſe ſibi cor ac ſi coſtas perrumpere vellet ab attractis in præparatione Antimonii diaph. atomis penè multis ſulphuris antimonii, teſtatur *Excell. Schulzius d. natur. tinct. Bezoard. cap. 5.* ubi *Angeli Salæ* ſententiam *p. 303. Oper. chym.* non à directa & venenoſa malignitate, ſed nimia copia hujus ſulphuris hoc & talia ſymptomata inducentis etiam ſubjungit. Hunc proximè ſequitur *Victus* genus plethoræ & cacochymiæ generandæ idoneum, ita ex nimia voracitate apud *Galenum* & *Foreſtum* genitum fuit hoc ſymptoma. Cibi frigidi & flatulenti, calidi, putreſcentes, non debito modo & tempore ſumti, acres & aromatiſati, huc quoque referendi. Ita ab uſu immoderatiore cinamomi, quod *Mœbius* in Nobili matrona, & *Cummenius Ephem. Germ. Ann. 3. obſ. 134.* obſervarunt, nucis myriſticæ & aliorum aromatum contingere ſolet. *Aquæ* ſtagnantes, lacuſtres, impuræ, graves, vina nimis ſulphurata, cerevifia non probè defœcata; Vinum generoſum amyſtide ſumtum ob ventriculi diſtenſionem, quod Nobilis apud *Foreſtum l. 17.* Vino Rhenano nimium indulgens ſuo nos edocuit exemplo. Inedia, jejunium, fames, & ſitis ſtrenuam huc conferunt operam. Sic refert *Duretus de palp. Cord.* quendam febre ardente correptum vehementiſſimam ſitim adeo afflixiſſe, ut coſtas ferè fregerit, hac autem ſedata remiſiſſe palpitationem Cordis. Non raro à medicamentorũ nimis

cali-

calidorum, purgantium intensiorum, sudoriferorũ, balneorum etiam non ad leges medicas adhibitorum usu affectum hunc incurrimus. Duellum & motum contrarium ab Acidularum simul potu & lotione palpitationem cordis citare notat L. *Hornigk. de Acid. Swalbac. quæst. 96.* Exacerbabatur vehementer præsens palpitatio in muliere hysterica primum ex suffumigio ☿iali & Cinabaris & assumta Ambra nigra & iterum ex fœni putridi aliarumque herbarum fœtentium in olida valde urina decoctarum vapore suasu & consilio nasutularum muliercularum suscepto, teste *Foresto l. 17. obs. 6.* à ☿ dulcis (ad cujus præparationẽ ☿ subl. Arsenico adulteratus receptus est) usu palpitationes & tremores cordis oriri statuit *Lang. l. c. §. 22.* Huc quoque venena pertinent, dictis supra modis communicata, quæ *Vidus Vidius, Aretæus, Sennertus* & *Alii* accusant contra *Jackinum*; rationem addit *Willis. l. c.* Sic venenum extemporaneum & probabiliter philtrum in *Quodam J. V. Doctorando* præter alia symptomata etiam anxietatem cordis, tremorem ejus continuum induxisse, istum denique in vehementissimam palpitationem mortem ipsi inferentem transiisse refert *Cel. Mollenbroccius in Advers. Cur. Excell. Caspar. Theophil. Bierling. Cent. c. p. 29.* *Motus corporis*, præsertim in dispositis suscitato calore Spiritus agitat, sanguinemque accensum ad regiam cordis sedem propellit, ut Exempla suppeditant *Platerus Pr. tom. 1. l. 2. c. 11.* & *Tulpius obs. med. l. 4. c. 19.* Spiritus etiam dissipat; magis autem nocet, si à cibo statim instituatur, ob Chylum crudum in vasa lactea præcipitatum cordique oblatum. *Quies* immoderata, flatuum exclusioni apta causis quoque à *Galeno de P. cord. c. 5.* annumeratur, calorem enim obtundit & transpirationem cohibet. Paria cum his faciunt, imò cum motu & quiete viribus conspirant *Somnus* & *Vigiliæ*, imò somnus quies est exercitii sensuum, vigiliæ verò horum in Exercitio consistunt. *Lucubrationes* hic multum valent. Nec corporis solùm, verùm longè efficacius *Animi motus*, Spiritus dissipando, turbando, avocando, figendo, commovendo, sanguinis ebullitionem excitando, humores agitando, confundendo, motum eorum variè turbando aut sufflaminando idem malum procurant. Ita mœror apud *Ferdin. Histor. 22. Roder. à Fonseca Consult. Med. tom. 2.* Metus inanis in *Monacho* apud *Forest. l. 17. obs. 5.* Ira in *Juvene* apud *Plater. & Ferdinand. l. c.*

H. 79.

H. 79. item apud *Gabelchover. Cent. 4. Obs. 84. Timaeum l. 2. cas. 16.* & *Alios*, graviſſimas induxere palpitationes Cordis. Inter *Excreta*, nimia vitalis Nectaris ſanguinis ſcilicet, & humoris genitalis prodigalitas, (unde obſervationes teſtantur, nonnullis in ipſo actu Venereo ſuperveniſſe, eamque adeò auctam, ut niſi ſubitò deſtitiſſent, ſuffocati penitus eſſent) recenſenda. Excernenda per ductum choledochum, uterum, hæmorrhoides, glandulas ſubcutaneas, veſicam, alvum &c. ſi *retinentur*, heterogenea, materiam illis irritantibus ſubminiſtrant.

14. In *rerum p.n.* ordine ſunt *Febres* cordi maximè infenſæ & quidem ardentes, quibus frequentiſſimè jungitur. vid. *Hipp. de morb. vulg. l. 1. agr. 2.* in Febre quartana maximas palpitationes obſervavit *Bened. Sylvat.* Febres malignas, ut *Senn. P. l. 2. p. 4. c. 4.* notat, teſte etiam *Sylvio* & *Aliis*, imò ipſam *peſtem* ſæpiſſimè comitatur. *Affectio Hypochondriaca, hydrops aſcites, tympanites* & omnes *morbi* Cachexiam ſequentes frequentiſſimè hoc malum conjunctum habent. Saliva, ventriculi menſtruum, mucus, pancreaticus ſuccus, virile ſemen, ovula muliebria, uteri fermentum p. n. ſi ſunt conſtituta, irritanti materiæ ortum, fomitem aut calcar largiuntur. Ex ſaburra tartarea & Salina cum ſanguine ad Cor devoluta & in calculos concreta palpitationem continuam allegat *Grembſius.* In *Cerebro* malè affecto radices agere ſtatuit *Senex noſter de morbo ſacro*, ſpasmodico non nunquam huic motui hoc modo patrocinans. *Ventriculus* debilis primæ coctionis vitium cordi per vaſa lactea communicans palpitationem excitat. Virgo pica laborans, quæ acria & auſtera, calcem & terram ſine diſcrimine ingerebat, hoc malum incurrit apud *Roder. à Fonſeca tom 1. Conſult. 24. Inteſtina* variis morbis obſeſſa, imò & vermes inibi latitantes palpitationem hanc excitaſſe refert. *Vidus Vidius de aff. Cord.* & *Schenck. l. 2. Obſ. 194. Pancreas, Hepar, Renes, glandulæ variæ* ſuo depuratorio non ritè fungentes officio, *Pulmones* hoc vel illo modo læſi multum hîc valent. *Lien*, non tàm vapores ad cor mittendo, quàm ſanguinem minus debitè depurando, aut inficiendo, frequens hujus mali cauſa eſt, quo & magna familiaritas nervorum ſplanchnicorum cum cardiacis facit, nam hæc conſenſus nomen tàm imò magis meretur aliquando, quàm illa humorum metaſtaſis. Hinc illud Caſin. Act. 21. ſc. 6. Præ metu ubi ſim

nescio, perii! Cor lienosum opinor habeo, jamdudum salit. de labore pectus tundit. A testibus in Lue venerea exulceratis palpitationem subortam fuisse testatur *Zacut. Lusit. prax. Hist. C. 2. obs. 2.* Uterus quid exorbitans agat, *observationes* testantur Nimium *mensium* profluvium apud Heurn. *obs. de morb. Pect. c. 8.* hoc malum procuravit; *Eorundem* suppressio frequentissimè id inducit. *Vasa* sanguifera obstructa, angustata, variè læsa, lymphatica obstructa, coarctata, inflammata, rupta, rosa quocunque modo læsa ad palpitationem excitandam nonnunquam aliquid conferunt. *Dolores nimii* haud rarò ad illam vibrationem Cor adigunt.

15. *Differentiæ* ex dictis, & variis causis, & diversis subjectis erui facilè possunt; Palpitatio sc. Alia est *gravior* & vehementior cum cordis non solum sed arteriarum & partium adjacentium concussione, incurvatione, imò totali interdum fractione, quod *Observationes* supra adductæ satis superque comprobant, juncta, Alia verò *mitior* & levior, vix observabilis parva & rara, Alia *à spirituosis*, Alia ab *humorosis*, Alia à *solidis* Alia à talibus *variè* concurrentibus orta, Alia à *primo ortu*, Alia *post illum*, Alia *à re in corpore genita*, Alia à *tali illi ab extra communicata*, Alia *idiopathica*, *sympathica* Alia, Alia *continua*, Alia *interpolata*, Alia *benigna*, termino medico, Alia *maligna*. Alia *absque aliorum comitatu symptomatum*, Alia *multis & difficilibus stipata* invadit, Alia *simplex* alia *composita* est, Alia *subitò invadit*, Alia *paulatim* accedit & sensim desinit, Alia per *quosdam dies* imò diutius durat, Alia per *quasdam horas*, Alia *cum* febre, Alia *sine* febre est.

16. Palpitationis *Imminentis signa* sunt aliquando subitanea pulsus mutatio, Cordisque insolita ac repentina angustia, timor, metus, causæ allegatæ cor irritare incipientes. *Præsens* in sensus incurrit, jungitur aliquando syncope, vertigo, cephalalgia, singultus &c. An *intensior*, vel *remissior*, multiplici sensu, visu, auditu & tactu percipi potest. *Essentialiter* Cor esse affectum ex palpitationis magnitudine, pulsus inæqualitate & symptomatum aliorum gravitate, continua itidem duratione, quæ tamen diuturna non est, colligitur. *Per Consensum* Cor laborare partium mandantium morbi & sympto-

ptomata manifestabunt. *Illa* invadit sine prævio morbo, *hæc* aliorum morborum præludia subsequitur, juvant quoque medicamenta parti mandanti appropriata. Causam specialem prægressæ causæ, effectus & symptomata detegunt. A *flatibus* quæ excitatur, citò invadit, inflationes partium, pulsum tremulum in genis, palpebris vel in aliis partibus, dolores & anxietates Cordis repentinas, interdum oculorum obtenebrationes, sonitusque aurium secum trahit; præcesserunt causæ flatus generantes, junguntur rugitus, ructus, citò fit, citò perit. Si *Spiritus* aut *sanguis venenatis* infecti miasmatibus, magna observatur motus variatio lapsusque virium repentinus maximus, qui sæpè in lipothymiam & syncopen degenerat. Venenum *communicatum* haud raro æger refert, aut extraordinaria ostendunt symptomata. Cujus naturæ & indolis *Humores* hic peccantes sint, de eo facilè temperatura ægri, & ipsa sympomata, nec non alia signa horum qualitates arguentia, ex *Practicis* petenda, nos certiores reddent. *Quantitas sanguinis excedens* cognoscitur ex rubore, tumore, dolore & aliis signis; *Deficiens* ex pallore, virium dejectione & causis prægressis. Si à *Sero* in pericardio abundante, palpitatio undosa est, Cor quasi in aqua natare laboranti videtur, pulsus molliores & formicantes dicit *Salmuth. cent*: *1. obs. 13.* respiratio laboris plena, ægri sitiunt, motus valdè p. n. repercussivus perpetuus est. Si aliarum causarum signa absunt, de *solidis* cogitandum. Costarum affectus in oculos incurret, tumor dolore se prodet. Vermes pallidus faciei color, anxietates, dolores, lipothymiæ, deliria, pruritus narium &c. prodere conantur. Dubia autem dicta solidorum signa nonnunquam esse facilè largior.

17. Palpitatio Cordis sive Partem hanc Principem, sive motum depravatum, sive symptomatum, quæ ipsam comitantur violentiam & gravitatem videas, in genere *periculum* portendit, *majus* tamen, per idiopathiam si sit, & perpetua aut intermittens quidem sed valdè magna, testatur enim *Experientia*, eos, qui frequenter & quasi ex improviso Cordis palpitatione corripiuntur, raro grandævam ætatem attingere, nam Cor, teste *Philosopho*, gravem morbum diu perferre non potest. Si symtomatibus vehementioribus stipata incedit, periculosior est, ut

respirandi difficultate in *Antipatro ap. Galenum*, Orthopnæa & tussi ap. *Lotichium l. 3. c. 1. obs. 8.* suffocationis metu & anxietate ap. *Platerum P. Tom. 1. l. 2. obs. c. 11.* suffocatione in *Disp. cit. Excell. D. D. Metzger.* Syncope in Juvene ap. *Ferdinand.* it. infœmina quadrata ap. *Zacut. Lusit. Pr. adm. l. 1. obs. 135.* nausea & vomitu bilioso apud *Mesuen.* *Cordis palpitatio quæ febri acuta supervenit, cum animi deliquiis & syncope lethalis, inquit Rhases.* *Periculosior* quoque Cordis palpitatio à causis internis & venenatis inducta. Externa tamen causa nimis violenta, haud rarò maximum creat periculum. *Pessimum*, si ex vulnere Cordis & soluta unitate proveniat, ibi malum est desperatum. Si ex sero in pericardio copioso, *rarissimè* curatur. Causæ pertinaciores & pertinacius inducunt malum, remissiores levius. Vires penitùs debilitatæ & fractæ parum hîc spei relinquunt. Aliquando diarrhæa, aliquando arthritide, aliquando vomitu terminatur. Ab animi motibus quæ oritur palpitatio, facilè & in brevi ut dicit *Attil. Bulget. l. c.* liberabitur, at, an semper dubito. Tremula palpitatio si vomitum prassinum præcedit & sequitur, spasmum, epilepsiam & mortem portendit.

18. *Curationem* aggredienti quid si Quis *objiceret?* Palpitationem Cordis esse motum, quo hostem propulsare, abigere omni nititur conatu, dixisti hactenus; cur ergò istum, qui Naturam liberare cupit, medicamentis tollere tentas motum? Resp. 1. Proponam modum, qui Naturæ in hoc conatu pro eliminando inimico & expellendo suppetias ferre, & amicam per medicamenta jungere manum docet. 2. Ille motus ac ad extremum sæpè tendens Naturæ conatus anceps est, aliquando in salutem vergit, sæpius si pertinaciùs & frequentiùs durat, lethalis fit, aliquando medio modo se habet. 3. Et causæ & symptomata hunc motum comitantia & sequentia præter Naturæ intentionem haud rarò magna secum vehunt incommoda. Ex *Methodi* ergò *Medendi*, secundùm indicationum requisita, lege, abs qua si agit Medicus, cæcus ægrum cæcum ducit, ista *irritantia*, quæcunque sint, *amovenda, imminuenda, avertenda, invertenda, immutanda, quæ materiam, aut fomitem præbent, quæ commovent, abigenda, corrigenda, motus avertendus, inhibendus, sufflaminandus, demulcendus*, & sic *vires restauranda* sunt. Hæc

exe-

exequitur Medicus materia ex promptuario *Chirurgico*, *Pharmacevtico* & *Diatetico* deprompta.

19. E *Chirurgico*, *Venasectio*, magnum in vincendo hoc malo auxilium, sanguinis nimiam quantitatem imminuit, fervorem, incendium restinguit, acrimoniam mitigat, motum vehementiorem, impetuosiorem refrænat, coercet, *secundariis* præsertim *Indicantibus* consentientibus, nec prohibetur à viribus ab oppressu à dictis modò causis, languentibus. Commendant eam *Galenus l. 5. de loc. aff. Avicenn. l. 11. Fen. 3 tr. 1. c. 7. Ægineta l. 3. c. 34. Aetius tetr. 2. serm. 4. Massarias l. 2. c. 8. Attil. Bulget. l. c. & Alii plures.* Instituenda autem mox, partitis vicibus, si opus est insigni evacuatione, aliquando in brachio vel manu, aliquando in pede. *Non* autem *adhiberem* spirituum & sanguinis defectu præsente, hydropicis, decrepitis, infantibus aut similibus. *Arteria* ramum exilem hoc in affectu *secare* utile & facilè judico, quod & suadet *Septalius Animadv. l. 6. Animadv. 171. Cucurbitulæ scarificatæ* vices & hîc V. S. agere possunt non solùm, sed & post V. S. applicitæ sive *cum* sive *sine* scarificatione revocare, avertere, sufflaminare motum, spiritus excitare, divertere, varias particulas discutere, educere solent. Laudat *Hieron. Capivacc. Pr. l. 2. c. 8.* Affigunt scapulis, dorso, hypochondriis, partibus inferioribus. Cordi sive pectori *Quidam* applicare jubent, at cautè hic procedendum, cum palpitationem, ibi adhibitæ, aliquando excitent, intendant, quod & de hypochondriis monitum velim. *Ludovicus de Leonibus* cucurbitulas post reiteratam V. S. imponi jubet sub papilla sinistra versus dorsum & lumbos inferius usque ad nates. *Hirudines* & hîc non raro utiliter sanguinem extrahunt. *Fonticuli*, quos præscribit *Mercurialis Prax. l. 2. c. 10. Vesicatoria* serum non imminuunt solùm, sed & varias salinas, acutas, diversas, sanguinem & serum contaminantes educunt particulas. Cantharides *Quidam* ob cordi infensam Qualitatem exulare in hoc affectu jubent, at illam per sem. Ameos corrigi *Alii* prætendunt. *Sinapismi*, *Frictiones*, *Ligaturæ dolorificæ*, alia *dolorem facientia*, imò & *Ustiones* haud rarò multum juvant, non sanguinem solùm ac serum depurando, immutando, mitigando, sed & spiritus avertendo, in ordinem revocando. *Aspersio aquæ*

frigida non malè etiam à *Quibusdam* adhibetur. Sterno *terebrâ perforato* pericardium ab humorum ſarcina liberare jubet *Riolanus Enchir. Anat. l. 3. c. 4.* *Ego* à nemine adhuc effectum novi. Per *Chirurgiam Infuſoriam* legitimam aliquam Coralliorum Tincturam contra enormes cordis palpitationes infundendam cenſet *Celeberr. Ettmüllerus de Chirurg. Infuſ. concluſ. 3. §. 3.* Vulgares verò Pharmacopæorum Tincturas, vel alias etiam, quas Elegantiores Spagyrici literis poſteritati tradiderunt, non eſſe veras proprièque dictas tincturas, neque rigoroſum requiſitorum examen ſuſtinere, ſed vel colorata tantùm eſſe menſtrua, vel tinctas eleganter ſolutiones dicit *de Tinctura Corall.* Difficultates & remoras hactenus iſtius operationis non allegabo.

20. E *Pharmaceutico* depromenda *Evacuantia* & *Alterantia.* Inter *Illa* famoſiſſima ſunt *Purgantia*, de quibus dubium ſtatim oritur an conveniant, eò quod calorem nativum debilitent, humorum fermentationem juvent; verùm cùm à cacochymia oritur, utique ſtante ejus Indicante nulloque prohibente conſequitur & ipſam purgationem ejusque materiam proficuam fore. Proſunt autem in hoc affectu mitiora Purgantia, qualia ſunt *Decoctum prunorum dulcium, paſſularum, Manna, Jalappa, Rhabarb. tamarindi, aloe roſata, fol. ſenæ el. Sir. roſ. ſol. Sir. viol. ſol. &c.* *Elaterium, Mezereon* etiam Cordialibus, quod *Quidam* præcipiunt, mixta formidarem. *Purgantes pilulas* & *Apozema* præſcribit *Sylvius pr. l. 1. c. 35.* De *Caſſia* ex *Ballonio Bonetus Pharm. Med. p. 380.* ſeqq. habet. *Quidam natus viginti, cùm palpitatione annos aliquot laboraſſet, aſſumto Caſſiæ bolo interiit, quod iis contingit, qui ex palpitatione moleſtantur.* *Vomitoria* locum habent, ſi materia in Ventriculo hæret, viſcida, ad ſuperiora viam affectans, indomabilis, quæ tetros halitus ad Cor mittit, vel vitioſi alterationem reſpuentes copioſi humores in tunicis Ventriculi impacti ſunt, nihil contraindicat. Commendo *Tartarum emet. Ludovic. Diaſar. Fernel.* *Clyſterum* uſum egregium *Hollerius in Præſide Rhotomagenſi* obſervavit, gaudent enim virtute leniendi, revellendi, flatus diſſipandi, ſuſcitandi, hinc primum & proximum locum inter auxilia paroxyſmum imminuentia ſortiuntur. Paucam tamen injiciendi liquoris quanti-

tatem suaderem, ex emollientibus, abstergentibus, irritantibus carminativis. Locum in quibusdam casibus supplent *Suppositoria. Diuretica* absolutâ purgatione, si serum in corpore abundet & delinquat, si urinariæ viæ non læsæ sint, conducunt, quod facilè hoc modo ad renes divertitur & per urinam evacuatur. *Diaphoretica* reliquias vitiosas non modò educunt, sed & vapores & flatus discutiunt, particulas irritantes invertunt, inspecie, potiora illa quæ θ. 22. recensentur, sunt. Reiteratis libentiùs vicibus, quàm unâ sudorifera exhiberem. Sanguinem & serum qui etiam per *Apophlegmatizonta*, *Errhina*, depurare, irritantes particulas educere jubent, haud malè consulunt. Imò annon & *Sternutatoria* singulare quid aliquando hîc valeant, perpendendum si lubet, propono.

21. Ex *Alterantium* Classe, quæ spiritus nimis fervidos, tenues, volatiles, ac impetuosos, concitatos, orgasticè motos refrænant, compescunt, coercent, halitus, flatus sive ob effervescentiam p. n. nimiam calidiores, acriores temperant, mitigant, sanguinem calidiorem, acriorem, rarefactum, biliosum, inflammatum, effervescentem refrigerant, demulcent, incrassant, corrigunt, restinguunt, deprimunt, chylum nimis tenuem, lixiviosum, volatilem emendant, particulas in sanguine nimis acres, salinas, sulphureas, mordaces exustas, spicula varia obtundunt, infringunt, evertunt, sunt plura. Potiora ponam & usitatiora seqq. *CC, Rhinocerot. Os de corde cervi, Oc. ♋, Ebur, Unicornu utrumque, Margaritæ, Corallia, Terra Sigill. Santalum album, rubrum, acetosa, acetosella, borrago, buglossa, cichorium, endivia, nymphæa, taraxacon, flor. tunic. sem. 4. frig. amygdalæ dulces, ceras. acida, fraga, mala citria, granat. rub. id. bacc. rad. acetos. tarax. torment. Serum lactis, acetum rosaceum, rub. id. Aquæ destillatæ ex dictis simplicibus destillandis, Cordialis frigida, Hepatica frig. M. condit. car. Citr. fructus laudat. Conf. Citri M. Conserv. ex dictis, Decoctum Citr. morsul. de Citr. Trochisc. de Crem. Tartari, Nitrum perlat. Pulv. analept. fr. Mind. Syr. ex laudatis, spec. diamarg. fr. Diatr. santal. spirit. Vitrioli, Salis, Nitri, phlegma vitriol. & sulphuris. tincturæ vegetabil: Salia fixa destruentia, clyss. antimonii &c.* Blanda tamen acida eligerem. Opiata & hîc locum inveniunt; dùm spirituum & humorum inor-

inordinatum & efferum impetum sistunt, motum sufflaminant, fibrarum agitationem impediunt, somnum, qui & in hoc affectu gemmas & lapides pretiosos superans arcanum est, ut loquitur *Crollius Basil. chim. c. 7. p. 198.* procurant. At maximâ in hoc symptomate sunt adhibenda prudentiâ, nam habent se instar ensis bifidi, quem si incauta infantis, ebrii aut furiosi manus tractat, mortem aut damnum Domino infert, si dextra prudentis gerit, auxilium ac defensionem præstat.

22. Quæ verò spiritus crassiores, obscuriores, magis lentos, deficientes rarefaciunt, volatilisant, serenant, resarciunt, augent, vapores, flatus sive mineræ, sive fermentationis imminutæ culpâ crassiores, viscidiores, discutiunt, sanguinem deficientem, viscidum, lentum, aquosum, crassum, pituitosum, obstruentem, grumescentem, vappescentem, stagnantem, chylum nimis viscidum, flatulentum, acidum, vappidum, serum etiam copiosum, lentum, viscosum, restaurant, attenuant, incidunt, resolvunt, coquunt, accendunt, expandunt, calefaciunt, in Spirituascentiam agunt, promovent, agitant, imminuunt, itidem, sunt varia, è quibus, quæ in usum ducenda censeo, sunt seqq. *Ambra, Moschus,* quem variis contra palpitationem Cordis medicamentis imiscet *Eustach. Rud. de virt. & vitiis Cord. l. 2. c. 14. Castoreum, Mumia.* quam aliquoties cum aq. cinam. exhibitam contrà penitùs inveteratam palpitationem commendat *Hartmann. Pr. Chymiatr. p 92. Zibethum, Cerebrum Orcæ, Cinam. Cort. citr. arant. tamarisc. cappar. flor. anthos. lavend. lil. convall. salv. Crocus, melissa, Majorana, Chamom. nasturt. aquat. cochlear. absinth. rosmar. Eupatorium, Cuscuta, fœnicul. salv. Scord. Rad. angelic. Zodoar. Contrayerv. dictamn. gentian. Scorzoner. Sem. angelic. anis. fœnic. Citr. napi. Aromata, lign. aloes sassafr. mal. arant. bacc. juniper. Camphora, Vin. malvat. Camphoram sanguinis humani* describit *Spontonus Cœchidnelog. c. 11. Aq. destillat. ex dictis simplic. carfuncul. Anhaltin. magnanim. flor. Citr. naph. Cinam. bugloss. ex cord. cerv. meliss. cum vin. cydon compos. Dn. Præsid. vitæ tutelaris,* quam commendant, *Heurn. meth. ad. Pr. l. 1.* & *Rolfinc. Chym. l. 3. sect. 2. art. 1. c. 20. Aq. ex carnibus animalium destillatas* meritò parvi pendit *Joh. Gallego de la Serna d. virtute Aq. ceras nigr.* differens. *Aur. Alexandr. diacinamom. Reg. M. Conf.*

Conf. alkermes, diascord. Fracast. Theriac. Andr. Cond. cort. citr. arant. N. mosch. rad. Scorzon. Zinzib. Extr. ex laudatis. Conserv. ex dictis, Elix. vitæ Q. Matth Elixiria Sylviana, Liquor salis aromat. M. Essent. Citri, Castorei, croci, meliss. Ol. destillat. ex aromat. & aliis jam adductis, Elæosacchar. ex his & ambr. Syr. ex istis, de 5. rad. byzantin. Spec. aromat. ros. diagalang. diaxyloaloes &c. Salia volatilia tàm manifesta, quàm occulta, tàm libera & sui quasi juris, quàm in ol. concentrata; inter *Illa* eminent *viper. cran. homin. succin. lumbric. fulig. urin. tartari.* Nec *fixa* hîc excludenda. *Spiritus theriacal. camphorat. Spec. diambr. CC. sang. cerv. meliss. armoniac. anisat. Spiritum Regium ex spir. martis volatil. rosar. Ambr. mosch. & conf. alk.* commendat *Hofmann. meth. p. 315. Si oleum cinamom. gariophyllorum, Lavendul. &c. noveris transmutare in volatilem, nactus es medicamen temperatum, efficiens quantum de istis simplicibus sperari potest in veteri vertigine, palpitatione, similibusque,* inquit *Helmont. de febrib. cap. 15. num. 7.*

23. Sanguinem crassum, vappescentem, in spirituascentia deficientem, acidum, simul v. p. n. agitatum, effervescentem & impetuosè motum corrigere prudentis est Medici, ubi jungenda ex diversis istis, quæ jungi possunt. Et simplicia temperata exhibere, aut alia, ut temperatum emergat, miscere sæpè necesse est. *Absorbentia* sive imbibentia, vulgò præcipitantia refrænant & acidos & lixiviosos agitatos humores, suo etiam sale volatili non penitùs destituta. *Spasmodicum motum* corrigere modò talibus, modò volatilibus & prudens medici judicium dijudicabit. Plurimis modis in hoc affectû conducunt Acidulæ, juvant Martialia. Inter cardiaca, quorum est noxia omnia depellere, locat *Aurum Maroldus Med. Pract. l. 140.* subjungens: *præsertim in bursa & copiosum. Picam loquacem* Cordis Palpitationi conferre dicit *Aldrovandus in Prolegom: ornithol. tom. 1. Raymundus Johannes Fortis Professor Patavinus in Consult. medic. 45. cent. 2.* destillatum præscribit contra palpit. Cordis, quod varias patitur instantias.

24. *Morbis* etiam *aliarum partium*, à quibus palpitatio oritur, cura est opponenda. Palpitationem cordis *Stomachicam* curatam vid. *ap. Welsch. Syllog. observat. Martii Med. 61. Para-*

 celsus

celsius l. 2. de Tart. c. 2. tremorem cordis, ut febrem à Stomacho curandam dicit, non enim cor respiciendum, ut vulgò fieri solet, exhibitis cardiacis, sed stomachum, in quo morbus defixus à felle, quòd expelli non potest. In palpitatione ex *utero* non cardiaca aromatica communiter usurpari solita, sed *castoreum*, *galbanum*, *asam fœtid.* & similia non neglectis *Bezoarticis* adhibenda esse dicit *Horst. Cent. 1. decad. 5. quæst 4.* Illam ex nimio *cinamomi* usu à *Cummeno* observatam *volatilia* & *aromatica* non imminuebant, ab *acidis* tamen insigne ægra sentiebat levamen. *l. c.* Ex *antimonii atqmis Tincturâ Bezoarticâ* curavit *laudat Schulzius l. c.* In *Melancholia hypochondriaca cessare* dicit *Geyger de melanch. hyp. c. 32.* Si evaporationes malignæ impediantur, aut per corroborantia sistantur: Virgini, *de qua suprà, Fonseca* suadet, ut prorsus abstineat ab esu terræ vel calcis, aliorumve austerorum, acidorum; sed quia difficile admodum est, appetitum obtundendum dicit *amylo recenti* assumto, *sem. citr.* contus. & cum vino bibitis, *vini* potione *meraci* jejuno ventre & usu *pinguium l. c.* Ex *ira* ortæ opponit *Timæus l. c.* frigid. subacid. ex *acetos. cichor. endiv. portulaca, succ. granat. rib. frag. berb. citr.* &c. Remedia contra *polypum Cordis* ex *Nitro*, *spiritibus volatilibus* & *CC.* non ex *O*, *Vitriolo* peti debere opinatur *Malpigh. l. c.* Willis. *volatili* non juvante, *acidum* præscribi vult. *Malignitas* si causa est, *Bezoartica* opponenda; Si *Vermes*, enecari posse censet istos in pericardio *decocto Scordii*, *absynthii*, *centaurii* &c. bis terve de die hausto, *Barbette Anatom. Pract. c. 3. p. 3. c. 2.* *Allium* laudant *Plures.* Si à *pulmonibus* tabidis aut arteriárum radicibus propter tuberculum aut excrescentiam osseam semioppletis aut compressis excitatur, frustra esse earum sublationes moliri, & unicè id agendum dicit *Willis. l c.* ut levamine quodam per *hypnotica* subinde procurato ægrotantium vita etsi misera paulò diutius protrahatur.

25. *Externa* sive *Topica* sive naribus, sive pulsibus, manuum volis, temporibus, pedum plantis illinantur, adhibeantur, imponantur, sive Cordis regioni, hepati, testibus, axillis aut alio loco applicentur, spiritus reficere, solari, aliquando excitare, sanguinem transeuntem quam maximè afficere & vires

suas

fuas cum ſanguine refluo in Cor transmittere norunt, *odorifera fragrantia*, nonnunquam *graveolentia*, *penetrantia ex herbis, radic. rec. oleis, balſamis, ſpiritibus, aq ſpirituos decoct. &c.* forma *epithem. cataplaſm. ſaccul. foment. liniment. unguent. cerot. ex variis* jam *laudatis*. Scrobiculo Cordis *Salia volatilia* ac præcordiis externè applicare jubent *Quidam*. Ex *meliſſa* & *borragine* fomentum *aceto & aq. roſacea* imbutum Cordis regioni impoſuit *Foreſtus lib. 17. obſ. 1.* eoque tanquam incantamento quodam ſymptomata in multis ſedavit. Fœminis, quæ odorata ferre nequeunt, ſi palpitatio ex utero oriatur, *lotiones pedum* ex plantis uterinis ſuadendæ, *ſacculi ex iisd. herbis* confieri poſſunt. *Camphora* collo appenſa valdè proficua eſſe cenſetur; cum *Croco* eandem miſcet, & *butyro inſulſo* aut *Unguento pomato Mœbius anat. camph. c. 17.* Cordis regioni illinit. *Laterem calentem aſperſum vino malvatico* commendat *Fernelius* & alia plura. Commendant & externè *Theriacam*, *Pinguedinem Gallinæ rec. aq. roſar. lot. cum ol d. cinamomomi, moſch. ambr. &c.* mixt. *Aq. theriacalem* ſpongiâ applicitam Cordi laudant *Quidam*. *Thonerus l. 3. de cord palp. Obſ. 1.* inter alia præſcripſit cum laudabili effectu ſcutum ſtomachic. ex *ladano* & *tacamahac*. *Formulas* tàm internorum quàm externorum medicamentorum concinnare ex dictis cuivis liberum relinquo. In *Paroxyſmo vehementiori* quid faciendum, hactenus propoſita facilè determinabunt; ut enim, quæ celeriter ac citò ſubveniunt, adhibeantur, neceſſe eſt.

26. Tandem etiam *Diæta* accedit, quæ maximæ in hujus mali præſervatione, cauſarum remotione, viriumque conſervatione & reſtauratione eſt virtutis. *Aer* igitur ſit temperatus, fugiatur nebuloſus & caliginoſus, aut ſuaveolentibus alteretur. *Victus* ſit modicus, (omnis etiam evpeptorum copia nocet;) concoctu facilis, optimi ſucci, vitentur cibi flatulenti, condiantur aniſo, fœniculo, cinamomo; cauſâ calidâ, juſcula rec. herbis alterentur. *Vinum* conceditur plerumque, non tamen ſemper. *Cereviſia* ſit benè defæcata, fames vires exſolvit. In *Motu & quiete, ſomno & vigiliis* præſertim verò *animi pathematibus* auream mediocritatem commendo; *Comitiſſæ à Weſterburg*.

 Cor-

Cordis palmo laboranti, nè quid tristis nuntii perferretur, sedulò monuit *Langius Epist. l. 3. Ep. 2.* Moraliter & Physicè contra iram egit *Timaeus* l. c. *Excernenda* excernantur, *retinenda* retineantur. Et hîc terminus esto!

DEO interim T. Opt. M. Cœlesti Archiatro, pro innumeris toto vitæ curriculo exhibitis beneficiis, & ineffabili ad studium medicum pertexendum concessa gratia sit LAUS, HONOR & GLORIA in sempiterna secula.

F I N I S.

